

præbet occasio de ipsorum appellationibus, compositione, differentiis, proprietatibus tam in genero quam in speciatim agemus.

Ad iporum nomina ergo quod attinet, ea non necessitate aut ex essentia sunt iis imponenda, vti per ea & palam prout reuera in suis naturis sunt nominentur, & clamentur, sed solummodo signacula memoratiua sapientibus reuelatione sunt tradita, mediantibus quibus ab hominibus intelliguntur, & in memoria habeantur: non enim latet omnis virtus diuina in voce; Sic etiam ineffabile est nomen Tetrogrammaton, & tamen cum à Moysè quererebatur, Quod est nomen tuum, respondebat ei Deus i. h. u. h. hoc est, *nomen meum in aeternum*, & *hoc memoriale meum de generatione in generationem*, est igitur Tetrogrammaton æternitatis nomen, generationi autem memoriale tantum, quia nequit vlla voce componi nomen, quod diuinitatis naturam æquare possit. Quare Rabi Moyles Ægyptiacus dicit, nomina Dei ab hominibus usurpata esse à proprietate & minime ab essentia profienda; verbi gratia *Ehieh* ab æternitate: *Adonai* à Dominatione, *El* à fortitudine, &c. Pari etiam ratione Angelos seu intelligentias secundum ipsorum essentias nominare, durum & impossibile est, vt pote essentia diuina repletissimas: at vero quatenus sapientes angelos ab operibus cognoverunt ita quidem nomina iis tam generalia quam particularia imposuerunt. Exempligratia, Gene. al nomine primus Hierarchie supremæ ordo dictus est *Seraphin* ab amore & ardore igneo. *Cherubin* à sapientia & scientia, *Throni* à Iustitia &c. Sic etiam Archangeli & angeli ab officio ipsorum emissario. Porro etiam nomina pari ratione peculiaria peculiaribus ascribuntur angelis eodem respectu, videlicet à conditione seu officio & virtute, quemadmodum à medicina & medicatione *Raphael*, à virilitate *Gabriel*, ab ignea natura *Vriel*, &c. quorum tamen nihilominus nomina propria & essentia proferre admodum est arduum, quoniam ipsorum essentiam ignoramus, & consequenter eam inuenire mortalium fragilitas negat atque prohibet, nisi in quantum nobis reuelatione diuina fuerit concessum, Hinc ergo erat, quod sapientes contéplantissimi sibi ex numeris & figuris secundum voluntates, angelorum nomina formauerunt, non aliter quam pueri ex literis voces compondere docentur, vel Hebraicis, vel Græcis, vel Romanis, vel Arabicis, vel Ægyptiacis, non quod voces egeant literis talibus, sed quia tanta est nostra imbecillitas, vt memoriæ causa tales requirantur characteres, taliaq; ex literis & characteribus nomina efformantur: Sunt ergo nomina huiusmodi quasi notamina (vti Reuchlinus habet) quæ sensus nostros in primis incitent vel figura, vel voce, tūc phantasia à sensu exagitatur vt & phantasia memoriam, memoria rationem, ratio intellectum, intellectus mentem, ac denique mens angelum mouet, Ex quibus liquet, quod angelus excitetur à nobis hac via, ad voluntatem nostram piam obeundam, & non nos ab angelis. DEVS enim & angeli syllabis & dictionibus aut orationibus vulgo familiaribus non commouentur, sed nos per illas, sed illæ nos inducunt vt in eis quasi anchoram fiduciam habeamus. Exempligratia (vti Reuclini verbis utar) appellendo nauem ad portum, solent nauæ resti eiusdem vel fune prolatæ terram attrahere quāquam immobilem, quo conatu ad terram seipso trahunt, simili plane respectu per signa huiusmodi sensibus obiecta videmur diuinitatem inuisibilem nobis attrahere, cum tamen reuera nos ipsos mobiles ad immobilem diuinitatem attrahamus.

Hinc ergo est, quod signis, characteribus, voce, hymnis, & aliis cæremoniarum ritibus utramur in DEI & Angelorum in nostrum auxilium inuocationibus, non inquam vt illos moueamus ad nos, sed vice versa vt nos hac ratione ad eos eleuemus, Sed ad propositum.

Spiritus